



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

Porrò notandum hic specialiter quod Christus donando seipsum suis in Coenâ Eucharisticâ, addiderit præceptum suæ memorationis, oblationis, ac Communionis dicens: Accipite & manducate, hoc est enim Corpus meum, quod vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Tria sunt quæ Christiani omnes conservare perpetuò in suâ memoriâ debent, de Deo JESU suo, qui est Salvator omnium, maximè fidelium, & qui in seipso omnia nobis donavit. Primum est recordari semper præteritæ charitatis, quâ nos omnes redemit, per Passionem suam, factus obediens usque ad mortem Crucis. Secundum præsentis inspectionis, quâ nunc quoque perpetuò suos prospicit & contemplatur per cancellos specierum Sacramentalium & omnium gratiarum suarum fontem abundantissimè nobis per Eucharisticam oblationem, & Communionem communicat. Tertium, quod omnes Christiani

perpetuò in mente volvere debent, est bonorum & malorum discretio iustissimi, omnium Judicis Christi, qui venturus est cum potestate magna & majestate, & reddet unicuique sine acceptione Personarum, secundùm opera ejus, bona æterna bonis, mala æterna malis. Hæc tria maximi momenti ad stabiliendam cum Dei gratiâ salutem nostram, ab ipso Christo dum in terrâ viveret tradita, revocantur quotidie nobis in memoriam, per sacrificium quotidianum Sanctæ Missæ, idest oblationis incruentæ Agni Dei-Hominis Dei **JESU-CHRISTI**, & per Eucharisticam Communionem fidelium. Quicumque ergo majori cum fide, contritione, & dilectione quotidie magnum illud Sacrificium Corporis, & Sanguinis **JESU-CHRISTI**, in Altari, Deo, uni, trino, offerunt: aut si Sacerdotes non sint, frequentius sic communicant, Eucharistiæ Christi, per Spiritualem, & Sacramentalem Communionem, illi haud dubiè, magis imprimunt in animabus, & in cordibus, ac mentibus suis, perpetuam Christi **JESU** memoriam.

majoribus ejus donis cumulantur; & pleniorum fructum Incarnationis Verbi, Passionis & Resurrectionis ejus, ac Spiritus Sancti, & omnium donorum ejusdem communicationis, copiosius à totâ Divinâ Trinitate, per Deificam illam Oblationem ac Communionem percipiunt; & excellentius ac perfectius, Divinitate trium Personarum Divinarum sagineantur, atque beatiori, & gloriosiori illarum internâ conversatione fruuntur; quantum fas est Sanctis in hac vitâ, mortalis peregrinationis nostræ, ad beatam Æternitatem; cujus Eucharistia pignus est; & Divinissimum viaticum in Domino morientium; sicut est cibus & potus supersubstantialis grandium, & magnarum mentium.

Sic sapientissima, Sanctissima, & Beatissima Virgo Deipara, per quotidianam communionem, post Ascensionem Filii sui, omnium gratiarum, quæ Dei Matrem, & Regis Gloriæ Genitricem, ac Cœli Sanctorumque omnium Reginam decebat plenitudine cumulata, omnium omninò Sanctorum, Angelorum, ac Beatorum

&
 er-
 is,
 io-
 io-
 ei-
 u-
 ac
 a-
 a-
 a-
 as
 -
 ;
 o
 s

universas divinitas, est supergressa; adeoque plus est in illâ unâ Dei-Matre, sicut Dignitatis sic & Sanctitatis, gratiæ & gloriæ, quàm in omnibus aliis Sanctis simul in unum, collectis, & conjunctis. Sancta Dei Genitrix hoc igne Eucharistico sicut fornax charitatis tota inflammata, semper aspiciebat in faciem JESU-CHRISTI, unigeniti sui exinaniti in Eucharistiâ, crucifixi in Calvario, & glorificati ad dexteram Patris, atque in ejusdem memoriam, nunquam interruptam, omnia Spiritus Sancti impulsu sic operabatur, ut solus Deus unus, trinus, & JESUS, ejus Filius, viveret, ageret, & omnia in illâ & cum illâ consummaret, ad majorem gloriam Divinæ Triadis, ad perfectissimam imitationem Filii sui JESU-CHRISTI, & ad totius mundi salutem, cum Deo JESU suo perficiendam; præsertim verò ad sanctificationem electorum in Dilecto, Dilecto cordis sui JESU, primogenitio prædestinatorum, & omnium Filiorum Dei, ac cohæredum ejus in gloria Patris.